

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Religio b

cum fonte primo et editionibus 1493/5 & 1550

Non dicatis aliquid proprium sed sint uobis omnia communia et distribuatur uestrum unicuique a praeposito uestro uictus et tegumentum, non equaliter omnibus. quia non equaliter ualetis omnes sed potius unicuique sicut cuique opus fuerit. sicut legitur in actibus apostolorum. quia erant eis omnia communia.

et distribuebatur uniuersis sicut opus erat.

Qui aliquid habebant in saeculo quando ingressi sunt monasterium. libenter uoluerunt illud esse commune. qui autem non habent: non ea quaerant in monasterio quae nec foras habere poterant, sed tamen eorum infirmitati quod opus est distribuatur. etiam si paupertas eorum quando foras erant nec ipsa necessaria poterat inuenire tamen non ideo putent se foelices esse quia inuenerunt uictum et tegumentum quale foris inuenire non potuerunt nec erigant sibi mentem. quia sociantur eis ad quos foris accedere non audebant, sed sursum cor habeant et terrena bona non querant. ne incipiant esse monasteria diuitibus utilia. non pauperibus sed diuites illic humiliantur et pauperes illic inflantur.

Augustinus de communi uita et regula clericorum.

Manipulus florum (Venetiis, 1493/5), sig.E4r.

Et

non dicatis aliquid proprium, sed sint uobis omnia communia, et distribuatur unicuique uestrum a praeposito uestro uictus et tegumentum, non aequaliter omnibus, quia non aequaliter ualetis omnes, sed potius unicuique sicut *cuique* opus fuerit.

Sic enim legitis in Actibus Apostolorum,

quia «erant ILLis omnia communia

et distribuebatur unicuique sicut cuique opus erat».

Qui aliquid habebant in saeculo, quando ingressi sunt monasterium, libenter illud uelint esse commune. Qui autem non habebant, non ea quaerant in monasterio quae nec foris habere potuerunt. Sed tamen eorum infirmitati quod opus est tribuatur, etiam si paupertas eorum, quando foras erant, nec ipsa necessaria poterat inuenire. Tantum non ideo se putent esse felices, quia inuenerunt uictum et tegumentum, quale foris inuenire non poterant. Nec erigant ceruicem, quia sociantur eis ad quos foris accedere non audebant, sed sursum cor habeant et terrena uana non quaerant, ne incipiant esse monasteria diuitibus utilia, non pauperibus, si diuites illic humiliantur et pauperes illic inflantur.

Augustinus Hipponensis, *Regula tertia uel praeceptum*, 1, 3-6 (L. Verheijen ed., pp.418-19, ll.5-22).

Non dicatis aliquid proprium, sed sint uobis omnia communia, et distribuatur unicuique uestrum a preposito uestro uictus et tegumentum. non equaliter omnibus, quia non equaliter ualetis omnes, sed potius unicuique sicut cuique opus fuerit.

sicut legitur in actibus apostolorum,

quia erant eis omnia communia,

et distribuebatur singulis pro ut cuique opus erat.

Qui aliquid habebant in saeculo quando ingresse sunt monasterium. libenter uoluerunt illud esse commune. qui autem non habebant: non ea querant in monasterio, quae nec foris habere poterant, sed tamen eorum infirmitati, quod opus est, tribuatur, etiam si pauperies earum, quando foris erant, nec ipsa necessaria poterat inuenire, tamen non ideo putent se foelices esse, quia inuenerunt uictum et tegumentum, quale foris inuenire non potuerunt, nec erigant ceruicem. quia sociantur eis, ad quos foris accedere non audebant, sed sursum cor habeant, et terrena bona non querant. ne incipiant esse monasteria diuitibus utilia, non pauperibus, si diuites illic humiliantur, et pauperes illic inflantur.

Idem (Augustinus) in regula tertia.

Flores omnium fere doctorum (Venetiis, 1550), fol.435r-v.